



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Caput Decimum. Quo recensetur Comitissa Geldriae in partus mortisque
periculis seruata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

Gulielmus II. Iuliae Dux
& IV. Dux Geldriae, cui⁹
inuestiturā ab Impera-
tore obtinuit, ex coniu-
ge sua Catharina, Auū-
culi sui relicta vidua, nō
excitavit proles.

Reinoldus IV.
Dux III. Iuliaci &
V. Dux Geldriae cū
Maria Arduennē-
si, siue Arthois &
Arschotti comitis
filia, sine liberis
obijt.

Ioanna vxor (aliquibus mscr. rapta)
Ioannis decimi tertij Dynastae Arc-
kelij cui liberi

Gulielmus Maria (alijs, Margari-
qui inter- ta) nupta Ieanni Eg-
fectus an- mondæ Comiti ē
no 1417. qua filius

*Geldria insignia olim erāt 3. flores mēspili; quibus successit
Nassouiarum leo ex argēto in clypeo: (quem campū vulgo
vocat) caruleo, Rupertus tamen Palatinus senior dedit
Adolpho & Ioanni comitibus leonem aureum.*

Arnoldus comes Eg-
mondanus Sextus
Dux Geldriae.

Geldrica
Bellua
quidē

ARnoldi sexti Geldriae Ducis posteros, qui ditiones Si-
cambrorum tenuerunt vsque ad Carolum Ducem, la-
tius deducere supersedeo, cum D. Miræus libro secun-
do Donationum Belgicarum cap. 136. eos afferat. Ipsam etiā
Dynastarum Geldrorum originem, suo fortē tempore tra-
dam in B. Adelheide, vbi & de Nobilissimo Vilicensi Colle-
gio agam. Interim figmentū puto de bellua Geldre, Geldre,
inclamante; quam Wichardus de Ponte interemerit, eo que
faeinore populi sibi illius Imperiū acquisiuerit. Si tamē vete-
rum ænigmata aliquid mysterij censentur inuoluere; inter-
pretabor à Wichardo populum ereptum ab auara alicuius
& ferina tyrannide ac dominatū, qui subditos vt emungeret,
Geldre, Geldre, id est, nummos, nummos, imperiosis suis vo-
cibus extorquere fuerat conatus.

Caput Decimum.

*Quo recensetur Comitissa Geldriae in partus mortisque peri-
culis seruata.*

GELDRIÆ Comitissa tanta pariendi difficultate quandoque labo-
rauit, vt vita eius propemodum desperaretur. Accitus confessorius
eius Abbas Campensis, à Duce Brabantia Henrico, qui erat Comitissa
pater

A pater, atque à marito eius Gerardo Comite, introductus est ad eam, præ doloris acerbitate miserè eiulantem. Illa, viso Abbate, perinde ac si moritura sit, commendat se eius precibus, orans ut fratres omnes iubeat pro se orare. Lachrymantur omnes, qui aderant. Interim Comes sic ait ad eam: Nosti charissima, quantum nos amari cognatus & Dominus meus Episcopus ENGELBERTVS. Inuoca ergò illum in hac summa calamitate: Spero non minùs illum tibi, quàm cæteris, subuenturum. Deinde Abbas cum Duce & Comite egreditur: portò Comitissa orat martyrem, ut sibi opituletur. Orat Christum, ut propter sanguinem què pro iustitia fudit ENGELBERTUS, à tantis doloribus se liberet. Vix in castrum illi redierant, cum ecce puella cursitat post eos, lætissimumque nuncium Comiti afferens: Domine, inquit, Domina mea peperit tibi elegantissimum filium. Tum verò omnes laudant & prædicant Deum in martyre suo Engelberto. At Comitissa non immemor beneficij, mox reualuit, Coloniam venit, sepulchrum martyris visitauit, argenteamque imaginem ad illud obtulit.

Illustre miraculum in Comitissa Geldriæ.

NB. Argentea Imago S. ENGELBERTI.

Notatio ad Caput Decimum.

Comitissam Geldriæ hoc capite à Sancto nostro seruatum Historici Sophiam appellant. Fuit ea Henrico Brabantia Ducis illius nominis primo nata ex Mechtilde Mathæi Boloniensis Comitum filia, Gerardo III. Geldriæ & Zutphaniæ Comiti secundis nuptijs iuncta. Gerardus enim priorem duxerat uxorem Margaritam, Ruperti Nassouia Comitis, (qui in Syria fortiter pieque mortuus est) filiam, ex qua Ottonem tertium cognomine Claudum, & Henricum Leodiensium aliquando Antistitem genuit. Quo tempore Margarita hæc obierit & Gerardus viduus Sophiam duxerit, non reperi. Hoc constat Margaritam fuisse adhuc superstitem anno 1218. quo Gerardus cum illa insignem Ruremundæ parthenonem ord. Cisterciensis condidit atque dotauit. Quin eadè videtur anno 1224. Kal. Iulii fatis necdum cessisse, quod diploma instituti monasterij (præsentibus viro

Rupertus Nassouius in terra S. mortuus.

Vide Miraculū in notitia Eccl. Belgij pag. 556.

Dd 2

Nobi-